

45.

tur ha: 1) quod ob totum debitum non ob alicuius partem hypotheca sit constituta; 2) Singulis heredibus non licere separatim ea, quae defuncto competebant, omnes enim heredes coniunctim succedere in eis illud quod defunctus habuit. Sed his non obstantibus affirmativam et iuri et rationi magis conformem esse putarem. Quod enim ad primam dubitandi rationem attinet, ob totum debitum hypothecam constitutam esse, nemo id unquam in dubium vocabit, falsum vero id est, quod non etiam ob partem debiti sit constituta; constat enim totum ex partibus, et quicquid competit toti, necessario etiam omnibus eius partibus competere debet, alias enim si una vel altera pars esset excepta, non competeret toti, sed certis tantum partibus, et hinc si res quaedam pro mille florenis est oppignorata, oppignorata etiam est pro centum, tanquam parte decima ex illa mille florenorum summa, nec prius liberatur ab onere quam toto debito soluto; minima enim

part

à Titio tanquam debitore suo certo sortem cum usuris repetebat. Fidebat denunciatio iusto tempore à duobus viris iuratis non germanis quibusdā Maianis; hi enim communiter apud nos in eiusmodi negotiis, ut et si testamenta sint condenda, locationes finiendae, protestationes insinuandae, adhiberi solent. Verum debitor nec sortem nec usuras solvbat, nec quoy se iudicio subiebat quod forte crederet, cessionarium contra se executive minime procedere posse. Desiderabat laicus probato debito, probataque legitima denunciatione expositionem fasciculi straminei, concedebat hunc iudicium scabinale praefixorum terminis solvendi clauso fundo laico cessionario creditori iudicialiter ex officio tradebatur, id ad librum fundorum remittebatur. Cum coram libro fundorum et creditor et scabini prout motus est comparerent, quaestio illa ventilabatur, an ob partem debiti creditor expositione fasciculi straminei procedere, et an ipsi iuste fundus ex officio tradi potuisset; et denique res prope ad fructuam iudicii revocata omnibus remotis dubiis fundus cum oneribus tamen cohaerentibus cessionario adscribebatur. An vero hypotheca secunda fuerit deleta mihi non constat. Putarem tamen si

creditori